

vinum bibere & panem edere. *Proverb. 4. vers. 17.* & cum Iosua & Caleb facilem Israelitis sponderet victoriam, dicebant: Neque timeatis populum terræ huius, quia *sicut panem* ita possumus eos devorare, *Num. 14. v. 9.*

Vers. 5.

§. 26. *Dominum non invocaverunt*) ubi per invocationem in genere omnis cultus divinus notatur, uti & in illo *Genes. 4. vers. ultim.* tunc inceperunt invocare nomen Domini: Delirius enim est *Bellarminus*, qui ex eo probare vult tunc adumbratum & institutum monachatum, & Enos primum fuisse Monachum, *lib. 2. de Monach. cap. 4.*

§. 27. *Timuerunt timore ubi non erat timor:*) Hebraismus est, & Græcismus timore timere, *Luc. 2. vers. 9. Matth. 2. v. 20.* & quamvis hæc verba, hic non sint in Hebræo, extant tamen in *Psalms. 52. vers. 6.* & in editione Chaldæâ, in qua vocatur *timor mendacii* sive fallus, quo non decebat timere.

§. 28. *Quoniam Dominus in generatione justa est*, præmium hîc assignatur piis, supplicium impiis: illi gaudent de DEI præsentia, quæ gratiæ & favoris est: Si enim ut colligit *Basilus*, in medium duorum vel trium venit, *Matth. 18. v. 20.* multo magis in generationem justorum? hi nec DEUM præsentem nec absentem curant, quod innuit *David* cum eos alloqui pergit:

§. 29. *Consilium inopis confudistis:* per inopem sive pauperem *Hieronimus* Christum intelligit, qui cum dives esset pauper factus est propter nos, *2. Corinth. 8. vers. 9.* cuius consilium spreverunt *Pharisæi* contra semetipsos, *Luc. 7. v. 30.* Nos intelligimus simpliciter pauperem, sive opibus talis sit, sive Spiritu, *Matth. 5. v. 3. & 6.*

§. 30. Quo-